

probatissimi Doctores absque formidine incurrendi censuras in ipsa Constitutione explosas, fecere; veluti Joannes Soteall, Oratius Lucius, Augustinus Barbosa, Matthæus Sancho, & novissimè noster Illustrissimus Augustinus Reding, Sacri Imperii Princeps. Quapropter judico hanc *Expositionem* dignissimam, ut typis mandetur, & licentiam, quam Author exoptat, jure meritoque elargiendam, quinimò (mihi ita loqui fas esto) ipsam Authorem ad hoc vel invitum trahendum. In hoc Regio Pinnatenfi Asceterio, nonis Augusti 1701.

D. Fr. Thomas Placidus de Sarassa.

### FACULTAS ORDINARI I.

NOS Don Laurentius Armengual del Pino, Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Dionysienfis Suffraganeus Cæsar-Augustæ, à Consilio suæ Majestatis, & in Spiritualibus & Temporalibus Vicarius Generalis præsentis Civitatis seu Archi-Episcopatus Cæsar-Augustæ, pro Excellentissimo Domino D. Antonio Ybañes de la Riva Herrera, Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Archi-Episcopo Cæsar-Augustano, à Consilio suæ Majestatis, &c. Tenore præsentium facultatem impartimur R. P. M. Fr. Antonio Castell, Ordinis Sancti Francisci Provinciæ Aragoniæ Lectori Jubilato, Cæsar-Augustanæ Universitatis Doctori Theologo, & Conventus Divi Francisci Civitatis Jaccensis Guardiano, &c. ut in lumen edere possit, typisque mandare Librum, cui titulus est: *Brevis Expositio ad Quatuor Petri Lombardi, Parisiensis Episcopi, & Sententiarum Magistri Libros, sedulo ac lepidè concinnata*: Quatenus ex præscripto nostro extat examinatus, & approbatus à D.D. Fr. Thoma Placido de Sarassa, utriusque Juris Cæsarei ac Pontificii conspicuâ Clamyde insignito; Jaccensis Diœcesis Censore ac Examinatore Synodali æquissimo; Regalis & Magnifici Monasterii Sancti Joannis de la Peña semel & iterum Primo ac Magno Moderatore Claustrali dignissimo, &c. In quarum fidem has litteras expediri jussimus, & concessimus. Cæsar-Augustæ die 13. Mensis Junii, Anni 1701.

D. Laurentius Armengual del Pino,  
Vicarius Generalis.

De Mandato Illustrissimæ suæ Dominationis,  
Emmanuel Monzon & Lamata, Not.

CEN-

### CENSURA, ET APPROBATIO SAPIENTISSIMI D. D.

Fr. Josephi Placidi Cabrero & Sanper, Theologia Subtilissimi Laureati Doctoris; Sacra Pagina Solertissimi Interpretis; Regalis Monasterii Sancti Joannis de la Peña jamdudum Magni Prioris Claustralis; Omnium itidem Ecclesiarum regimini & ditioni præfati Monasterii creditarum Amplissimi Vicarii Generalis; Cæsar-Augustanæ & Tarraconensis Benedictinæ Congregationis Claustralis modò Præstantissimi Visitatoris Generalis; Præclarissimæ ac Fidelissimæ Villa de Salvatierra Prioris de jure Dignissimi, &c.

SUAVISIMIS devinctus habenis, præcelso mancipatus Imperio Perillustri D. D. D. Antonii Blanco & Gomez, Regio in Aragoniæ Senatu meritissimi Cancellarii, impigrè ac studiosè à carcere ad calcem lustravi Librum, cujus nobilis inscriptio: *Brevis ac Litteralis Expositio in Quartum Sententiarum Libri Petri Lombardi, Parisiensis Episcopi, & Sententiarum Magistri, &c.* Per R. A. P. M. Fr. Antonium Castell, in Seraphico Minorum Ordine, Aragoniæque Provinciæ Lectorem Jubilatum; in Celeberrimâ Cæsar-Augustanâ Academiâ Doctoris laureâ insignitum; & in Jaccetanâ rutilantique Franciscanâ Familiâ primum lumen & columen, &c. Affabrè concinnatum, maximo acumine elucubratum, omnibusque numeris absolutum. Vellem paucis periodis meum nutum, affectumque referare; sed quoniam Eximii hujus Interpretis demiror facilitatem, quâ Magistri abdita pandit; fœlicitatem, quâ subtiliter discutit; & præclare ac dilucidè, clarissimo & facundissimo stylo cuncta ordinat, & disponit, mihi indulgebo, ut possim liberius & uberius, non Censorem agens, sed Encomiasticum munus arripiens, istace luculentissima perlustrare Scripta, quæ nitorem spirant, lucem spargunt, suisque radiis Orbem litterarium irrorant: In quibus novum Paradisiacum fontem, sive fluvium, de loco voluptatis egredientem, deprehendo, (Genes. 2.) dùm Author Magistrum dilucidans, sua fluentia dividit, quasi in quatuor Capita, in quatuor Sententiarum Libros, dulciter inundans, & fœcundans fœluciter universam intellectualem terram, ut afferat, non spinas, & ignorantia tribulos; sed salutiferos feracisque scientiæ fructus.

Ast, parùm, aut nihil dixi; novam, inquam, primordiale lucem, omnes ac singulos scientiarum Orbes denuò illuminantem, dùm è Primo ad Quartum, quasi Diem, advolat Librum, & in quartum Cælum: Author sibi arrogat illud celeberrimum, *Luminare majus*,

b

en-

encomium, non solum, dum perlustrat Primum, sed dum illuminat Quartum; nam in quarto Cælo septem Signa, sive Planetas, quasi septem Sacramenta, quibus sacratum Ecclesiæ Cælum ornatur, fecundat, illustrat, & nobilitat. Sed quid? Ut proficit: Sanè lux, quæ illuminat omnem hominem ad fluentia suæ doctrinæ venientem, est noster subtilissimus Interpres, tam in Primo, quam in Quarto Sententiarum Libro, ubi sua conscripta clamitant, fecilibus jam evulgata auspiciis: At in Primo, quia Scholasticos tantum collustrat, lux est primordialis; in Quarto, quia Fidei Mysteria corroborat, tuetur, & pandit; virtutes firmat, mores componit, & Theologos Morales scientificos construit; Luminare majus, Lampas inquam Phœbea, quæ aureâ luce præfulgens, omnibus prodest: Septem Sacramenta, quasi septem signa coruscant, & stellat; tot habet suæ gloriæ illibatos testes, quot Distinctiones, quasi stellas, mutuatis à se fulgoribus, scintillantes accendit; & ut omnibus doctrinæ suæ radios spargendo proficit, indefessus semper, impigrâ mente, sedulâ manu, ac vigilibus oculis lucubrationes impendit: *Hoc negotium tuum; hoc otium; hic labor; hic quies; in his vigilia; in his etiam*, ut ajebat Plinius ad Isen. *somus reponatur.*

Quid superest, nisi ut bona sit? teste Cayetano, id ipsum fuit vidisse, & approbasse Deum illam primordiale lucem. Et undè jam ab incunabulis illa gigantea magnitudo? *Quia non erat bona mediocriter, sed excellenter.* (D. Thom. 1. Genes.) Vidit Supremus Opifex lucis excellentiam, & approbavit: *Quia illuminat tenebras, vias dirigit, latibula manifestat.* Sic clariori rutilanti luce flammifer noster tenebras illuminat, dum lippis & ambiguis oculis adhibitis fulgoribus sui præclarissimi ingenii, quæ in Magistro obscura ac abstrusa, meridiana luce, clariora ostendit: Ita exactissimè eliminat, & illuminat in hisce Explanatibus mentis ignorantia tenebras, ut mediocri ingenio pollens, illarum indagini tantisper intentus, inoffenso pede, possit litteralem arenam bonis avibus percurrere.

Nec minori felicitate, auspicioque fausto vias dirigit; nam mentibus illustratis, ut canit. Virg. Æneid. 6.

*Spargens rore levi: Lustratque vias.*

Omnibus tutum pandens iter: Si quid in Magistro obscurum, illustrat; si quid incultum, expolit; si quid tortuosum, aut injucundum, rectum ac gratissimum reddit, ut possit quis, *Omnia indirecta, & aspera, quasi per vias planas*, absque offendiculo permeare.

*Latibula etiam, ut Lucifer matutinus, felici dexteritate manifestat: Quæ sub aliis delitescunt, hic lucent; occulta ac reconditissima*

Ma-

Magistri arcana, Sole clariora demonstrat; difficilia admodum perspicuitate clarificat, ut lepido possimus plaudere cantu:

*Hic velut inter Astra, Luminare majus,  
Minora, lucet.*

Hic est illa Aquila grandis, quæ tulit medullam Theologicæ cedri, ita eviscerando Magistrum, ut obscura reddat cognita, abdita in lucem pandat, & obferatos sapientiæ thesauros, commodiori Scholasticorum luxui inservientes, ex præclaris feracibusque Magistri fodinis extra expectationem aruat. Hactenus Magister, præsertim in Quarto Sententiarum Libro, ut Libani Cedrus fere latebat omnes; at, quia ista Aquila grandis visceratim eum exposuit, ac extricavit, ipsius textualis litteræ præcordia fecundè ac facundè omnibus patefecit.

Clamitet jam exhilarato corde nostra studiosa florensque ætas, ut olim Prophetica Anna; *Quod famelici saturati sunt*, dum in hæc sapientiali domo omnibus affluenter parat, & præparat opiparatum mensam Author in Secundâ Parte hujus præclarissimi pensî, ubi pro cibis & poculis, Distinctiones maximâ sterilitate laborantes, suis ratiociniis nobilitatas; Scholas omnes; varietate Questionum locupletatas; expectatissimas Tridentini Sanctiones medullitè evisceratas, propinat, & ad gustum legentium liquat; ut unusquisque, non in sudore, sed in jucunditate, non in mœstitiâ, sed in alacritate, laxitatem anxietatemque in litterario pulvere reficiat; quibus dulcisonè concinit: *Venite, comedite panem meum, in saturitate, & bibite vinum, quod dulciter, miscui vobis in jucunditate.*

Tandem, quia illuminat lautè tenebras, rectè vias dirigit, latibula subtiliter manifestat, & nihil quod refragatur Orthodoxæ Fidei, morumque integritati, aut Sanctionibus Regiis, sua conscripta continent, ut valde bona, & ut luminare majus ab omnibus decantari oportet. Quapropter prodeat hocce egregium Opus, tandiù anxieque ab omnibus desideratum, ut desideriorum Opus nomine meruerit insigniri. Prodeat in publicam Ecclesiæ, & litterariæ Reipublicæ, non solum ut Opus, sed ut pignus. Prodeat tandem in lucem istud luciferum Opus, ut lucem afferat omnibus, non latibulo, sed theatro, non prælo solum, sed æternò marmore dignum. Sic, nisi aliter. In hoc Regali Sancti Joannis de la Peña Monasterio, diè 27. Junii, Anno Domini 1701.

*D. Fr. Josephus Placidus Cabrero & Sanper.*

IMPRIMATUR.

Blanco, Regens.

ba

CEN-

**CENSURA, ET APPROBATIO RR. PP. Fr. ANTONII**  
*Arbiol, Lectoris Jubilati; Scriptoris Publici; Archi-Episcopa-*  
*tus Caesar-Augustani Examinatoris Synodalis; Primi ac Majo-*  
*ris Aragoniae Conventus Moderatoris, ejusdemque Provinciae à*  
*Consilio & Secretis; & Provinciae Sancti Didaci Canariensis*  
*dignissimi de jure Patris, &c. Et Fr. Laurentii Matthaei Sanz,*  
*in Cœnobio Caesar-Augustano Dominae Nostrae de Jesu Vespertinae*  
*Cathedrae Sacrae Theologiae ingeniosissimi Interpretis, &c.*

**P**PRIMAM ac Secundam Quinti Voluminis Partem sub epigraphæ:  
*Brevis ac Litteralis Expositio Petri Lombardi Sententiarum Ma-*  
*gistri, &c. A. R. A. P. Fr. Antonio Castell, Lectore Jubilato, Sacrae*  
*Theologiae Doctoræ, & Jaccensis Cœnobii Guardiano gnaviter ac*  
*perpolitè excultam jam pridem Superiori jussu sedulo lustravimus. Et*  
*dùm insignem Operis structuram, materiem insimul & pulcherrimam*  
*ejus formam perspicuam methodum, eximiam in Sacramentali do-*  
*ctrinâ adipiscendâ facilitatem, intellectuali perpendiculo libramus, fa-*  
*teri cogimur, Minervam aruorum vastam planitiem penitus oblitam,*  
*hortorumque vernantes flores pertasam in Montana evolasse, ut cir-*  
*ca Jaccense Castellum, Castellum aliud extrueret, Litterarum Forta-*  
*litium, ac in medio sita, Palladis simul & Minervæ honorifica stem-*  
*mata jure optimo possideret. Mantuanum advoco testem Aeneid. 5,*  
*proclamantem:*

*Aut Montana sedet circum Castella sub armis.*

Sapientissimum sese exhibet Architectum Author apprimè doctus,  
dùm septem Ecclesiae Sacramenta, firmissimas spiritualis Aedificii co-  
lumnas ita stabiles, ita undequaque demonstratopolitas, ut imposte-  
rùm frustrâ contentur earum inviolabilem diruere firmitudinem &  
infani Archontici ipsas funditus sustollentes; & Sacrilegi Pauliciani,  
detractâ materiâ, partim subruentes, & impii Calvinistæ, & Luth-  
erani formam, speciem, robustamque virtutem denegantes, quia su-  
pra impietatis livorem, supra heterodoxæ impudentiæ fucum Sacra-  
menta confirmat, exprimit, elucidat, ita ut si sensibilia non forent,  
de cætero sensibilia apparerent. Plaudant igitur tanto Doctori Anima-  
rum Curæ, dùm eorum curis addictus, proprio non parcens labori,  
omnium satagit lenire gravamen; Author enim, Strocio Patre ca-  
nente, apud Rabif. in Epict.

*Arguto didicit calamo suspendere Curas.*

Quod ad *Parergon* in Tridentinum spectat, plura claudit laude digna;

ibi

ibi namque perspicuus est, in nullo tamen deficiens, omnia evolvit,  
nihil omittit ad litteram & Sacras Concilii Sanctiones attinens. Quæ-  
stiones penè innumeras promovet à plurimis exquisitissimis Docto-  
ribus non modico haustus sudore, quod maximoperè erit commen-  
dabile apud omnes, qui lectionibus elucubrandis ad arenam incon-  
cursu vacabunt; nedùm in Aragoniæ finibus, verùm & in totâ Hispa-  
niâ, aliisque quamplurimis Regionibus. Quapropter enixè gratula-  
mur Authori, quod, tot superatis incommodis, indiès Opera in lu-  
cem proferat: hocque dignissimum censemus, quod prælo mandetur,  
Reverendissimi mandato obtemperantes; nisi aliter, &c. In hoc Re-  
gali Sancti Francisci Caesar-Augustano Cœnobio, die 28. Mensis De-  
cembris, Anno 1699.

*Fr. Antonius Arbiol.*

*Fr. Laurentius Mattheus Sanz.*

#### LICENTIA ORDINIS.

**F**RATER Ludovicus de la Torre, Lector Jubilatus, totius Ordinis  
Seraphici P. N. Sancti Francisci Minister Generalis, & Servus,  
&c. Dilecto Nobis in Christo P. Fr. Antonio Castell, Provinciae nostrae  
Aragoniae Lectori Jubilato, salutem in Domino sempiternam.

Præsentium tenore, & quantum ad Nos spectat, Licentiam Tibi  
concedimus, ac facultatem facimus, in lucem edendi, typisque man-  
dandi Quintum Tomum Partis Posterioris, cui titulus est: *Brevis*  
*ac Litteralis Expositio ad Quatuor Petri Lombardi, Parisiensis Episco-*  
*pi, & Sententiarum Magistri Libros, sedulo ac lepidè concinnata.* Eò  
quod Opus ejusmodi ab Ordinis nostri Theologis revisum fuerit, &  
approbatum. Servatis in reliquo cæteris, juxta Sacros Canones,  
Summorum Pontificum Decreta, ac Statuta Generalia Ordinis nostri,  
de jure servandis, &c. Dat. in hoc nostro Conventu S. Francisci Ma-  
tritenfi, die decimâ nonâ mensis Martii, anni millesimi septingen-  
tesimi primi.

*Fr. Ludovicus de la Torre, Minist. Gen.*

De mandato suæ Reverendissimæ,

*Fr. Joannes Rendero, Secret. Gen. Ordin.*

TAS-

## TASSA.

**D**ON Joseph Antonio de Yarza , Secretario del Rey nuestro Señor , su Escrivano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo. Certifico, que haviendose visto por los Señores de el el Libro intitulado : *Brevis Expositio ad Quatuor Petri Lombardi , Parisiensis Episcopi , & Sententiarum Magistri Libros , sedulò ac lepidè concinnata*. Tomo V. su Autor el R. P. Fr. Antonio Castel , del Orden de San Francisco de la Regular Observancia , en su Provincia de Aragon , que con licencia de dichos Señores , concedida à Don Ramon Antonio del Rivero , ha sido impresso , tassaron à cinco maravedis cada pliego , y dicho Tomo parece tiene cinquenta y uno , sin principios , ni Tablas , que à este respecto importa doscientos y cinquenta y cinco maravedis , y al dicho precio , y no mas mandaron se venda , y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Tomo , para se sepa el à que se ha vender. Y para que conste lo firmè en Madrid à cinco de Junio de mil setecientos cinquenta y seis.

*Don Joseph Antonio de Yarza.*

AT-

## AD LECTOREM.

**P**RODIT Quintum Expositionis Litteralis Volumen , studiose Lector , vigesimum Distinctionum calculum in præcedenti desideratum , complectens , totamque Magistri litteram in Quarto Sententiarum deprehensam Libro , plenè ac amussim exambiens. Obsequenti ergò , gratoque animo votis tuis annuo , non semel expressis , imò & crebrò iteratis , ut cunctâ Morali Theologiâ , in primâ , & secundâ pensâ parte cumulatisimè absolutâ , perfruaris.

In Magistri Distinctionibus elucubrandis , eandem omninò servavi methodum , ac dispositionem concinnam , quam in antecedentibus mordicis habui. Eas in longum protraxi , quantum valui , studio quidem , quò nimiam in omnes Expositores concisionem , quâ sanè laborant , animadverterem ; speciatim in his , quæ de Matrimonii impedimentis , de Extremo Judicio , de Receptaculis , Statu , Sorte , Casu , & Conditione Animarum post elapsam vitæ curriculum , pertractant.

Præterea , quia Lektionen ad clepsydræ numerum supra Magistri Litteram , & Tridentini Sessiones , non solum exasciatæ , verum perpolitæ , immensâ laborum serie , in litterario agone ab Oppositoribus plerumque objiciuntur , placuit , *Parergon* huic postremo Volumini adjicere , in quo perspicuâ brevitate , & claritate summâ cunctas Sacrosanctæ Synodi Sessiones , Canones , ac Decreta rectè partita , accuratè perpendimus. Postmodum genuinas Quæstiones universim promovemus , nedum Theologiam Scholasticam , Moralem , ac Dogmaticam spectantes , verum & Canonicam intuentes , per omnia capita , & decreta de Reformatione ; consultò in opportuniùs tempus protendendo ordinatam scilicet errorum , eorumque Authorum seriem texere , quorum naniæ , vesaniæque Tridentinum impulere , cui nos fide in præsentis Opere obstrinximus , ut tot sacra dogmata firmiter tenenda decerneret , ac utilissima decreta servanda penitus firmaret.

Non , inquam , immoror in eorum lubricis , fallacibusque recensendis technis , præsertim Joannis Henrici Heideggerii in suâ Concilii Tridentini Anatome Historico-Theologicâ , & Petri Suavis Polani , qui in Tridentinum impudenter , acriterque invehuntur , ne Opus extra solitum grandius grandiat. Consulantur interim Cardinalis Pallavicinus validè ipsos exarmans , & disertissimus Augustinus Reding Benedictinus Claustralis , Abbas Einsidlenfis , Sacrique Romani Imperii Princeps fusè ac nervosè per quinque Tomos Tridentinum elucidans , præfatosque Etherodoxos hostili ac subtili gladio

ju-

jugulans. Adhæc, Expositionem in Secundam, & Tertium Sententiarum Librum per brevi elucubrandam offerimus, & cum ipsâ totius Operis peroptatum exodium: hocque votum haud dubiè explevissemus, si crebræ domesticæ inevitabiles curæ, pro pollicitis exequendis, totum non absumerent tempus.

Certiozem etiam Te velim, præfenti anno Opus Theologicum fuisse evulgatum à R. A. P. Fr. Antonio Perez, Conlectore quondam nostro in Archimuseo percelebri Sancti Didaci Cæsar-Augustano, in quo enixè quidem, prolixè, ex tempore, ac minutatim enervare perentat Quæstiones aliquot ex præcipuis, quas in nostro Athenæo jamdudum usuræ communi dedimus, & Litterariis orbis grato plausu, delectuque excepit. Cæterùm deliberare non ausim, an in earum substantiam, an solum accidentia præfati Authoris impugnationes colliment: Sunt quippè adeò insolita, & Doctoribus ita parùm obvia, ut meritò existimarim, potius modum, earumque corticem, quàm medullam redargutioni subiacere. Nihilominus plurimum facio tanti Magistri non vulgarem gratiam, ipsique aliquas animadversiones opponerem, ni præfens pensum intentum retardaret, utpotè materiem fati extraneam referens: Tùm ob alia majoris ponderis ingruentia negotia: Tùm ob ultiores ejusdem Authoris in Secundo Tomo ocyus prælo cudendo expectandas impugnationes, ut plenè ac planè omnibus, quantum sit nostri muneris, adhibeantur responsiones: Tùm demùm, ob egregium, apprimè, subtilem, argutum, perpolitumque Apologeticum Librum à R. A. P. N. Fr. Joanne Perez Lopez exaratum, typisque jam sæliciter datum, pro impensè ac lubricè objectis à R. P. Fr. Antonio Perez, ubi iteratis Stateris ac Dipondiis ad trutinam vocantur ea, quæ ipsi objectantur; & quæ ad nostrum Athenæum præsertim attinent, æquâ lance, quanquam obiter, ponderantur.

Hæc inter, benigne Lector, Deum identidem precare, quatenus nobis salutem largiatur, ut propriis non parcens laboribus, studiose tuo possim inservire emolumento, in optatum finem Opus deducendo. Sic aveo, sic spero. Vive, & vale.

IN-

# INDEX AUTHORUM, QUI IN HOC OPERE RECENSENTUR.

A

A Catius de Velasco.  
Adamus Tannerus.  
Ægidius Bolsius.  
Ægidius Romanus.  
Ægidius Lusitanus.  
Ægidius Coninch.  
Albertus Pighius.  
Alderanus Mascardus.  
Alexander Alensis.  
Alexander Pefantius.  
Alphonfus de Castro.  
Alphonfus Salmeron.  
Alphonfus Villadiego.  
Alphonfus Perez de Lara.  
Alphonfus Vegà.  
Alphonfus Tostatus.  
Alphonfus Acevedo.  
Alphonfus Curiel.  
Aloysius Turrianus.  
Alvarus de Velasco.  
Div. Ambrosius.  
Ambrosius Spinula.  
Ambrosius Saxius.  
Ambrosius Machin.  
Andreas de la Moneda.  
Andreas de la Cruz.

Andreas Mendo.  
Andreas Molfesius.  
Andreas Junius.  
Andreas Lao.  
Div. Anselmus.  
Div. Antoninus.  
Antonius Diana.  
Antonius à Spiritu Sancto.  
Antonius de la Parra.  
Antonius Cottonius.  
Antonius Cordova.  
Antonius Escobar.  
Antonius Naldus.  
Antonius Quintanaduena.  
Antonius Hiquæus.  
Antonius Moure.  
Antonius Rubio.  
Antonius Gomez.  
Antonius de Quiròs.  
Antonius Molina.  
Antonius Perez, Benedictinus.  
Antonius Perez, Jesuita.  
Antonius Perez, Franciscanus.  
Antonius Arbiol.  
Antonius Castell.  
Antonius Fernandez.  
Antonius Sosa.  
Antonius Possévinus.  
Antonius Quefada.

c

An-